

## §. VI.

De Dyna-  
stia Dra-  
him.

Occurrit mox Nova Marchia inque ea Dynastia Dra-  
him, quondam Polonici Regni pars, inde ab Anno 1657.  
vero, quo Iure pignoris, vix unquam reluendi, ad Ser.  
Domum Brandenburgicam pervenit, Novæ Marchiæ,  
atque, ut paucis nos expediamus, in possessorio Iuris  
Germanici, in petitorio Polonici, nisi malis dicere, cum  
Germaniæ nunquam incorporata fuerit, eam tantisper su-  
premo Brandenburgico parere Dominio.

## §. VII.

De Dyna-  
stias Lau-  
enburg. &  
Bütavienf.

Æqualis certo modo videtur esse conditio Dynastia-  
rum Lauenburgensis & Bütoviensis, inter Pomeraniam &  
Poloniam sitarum, quas Feudi quidem Iure tenet Ser. Do-  
mus Brandenburgica a Regno Poloniæ, ita tamen, ut Polo-  
nia non parum Iuris in eandem sibi vindicet. (1)

## §. VIII.

Fines inter  
Pomera-  
niam &  
Poloniam  
dubii.

Offerunt se nobis porro ex illo latere fines inter Polo-  
niam atque Pomeraniam Brandenburgicam dubii, de qui-  
bus vero id solum nobis innotuit, post lites diu desuper agi-  
tatas Legatum Polonicum Anno 1698. Berolini in id incu-  
buisse, ut amicabili ratione componeretur, exortas vero  
paulo post ob negotium Elbingense novas lites remo-  
ram iniecisse.

## §. IX.

Versus Se-  
ptentrio-  
nem limi-  
tes Germa-  
niæ sunt  
indubii,

Septentrionem versus pauca sunt dubia; potissimam  
finium partem ipse Naturæ Conditor maria constituit, ubi  
vero Slesvico contigua est Germania, plana eo magis sunt  
omnia, cum utraque Terra uni eidemque Domui Regio-  
Ducali

1) Conf. PUFENDORFF de reb. gest. Frid. Wilh. Lib. 6. p. 388. Pacta con-  
venta Augusti III. Regis Polon. §. 57. & ibi Cel. LEGNICHIVS.